

## §. XI.

Ergo præter distinctionem inter contractus b. f. (bilaterales) & stricti juris (unilaterales) jus Romanum quoque ad differentiam Prætoris & judicis pedanei respicit. Scilicet in contractibus b. f. judex ille ad verba conuentionum præcise adstrictus non erat, sed ultra progressi & ex æquo & bona ea quoque adjudicare poterat, quæ verbis non expresserant contrahentes, v. g. in emtione-venditione, locatione &c. usuras propter meram, fructus, &c. in contractibus stricti juris autem verbis conuentionis simpliciter inhærebat, nisi Prætor uni ex litigantibus propter æquitatem prospexerat, imputare enim alias sibi debebat is, qui conqueri volebat, quod omnia & singula, uti facile fieri potuisset in contractu unilaterali, non expresserat & desuper stipulatus erat, de qua stipulatione ejusque formula videri potest Brissoni *de formul. & solemn. pop. Rom. verbis l. 6. p. m. 571. conf. Dn. Præses in doctr. ff. tit. de reb. cred. §. 5.* Adde quo ad hanc materiam Paulum in l. 7. ff. de negot. gest. tantundem in bonæ fidei iudiciis officium judicis valet, quantum in stipulatione nominatiū eius rei facta interrogatio. Ulpianum in l. 7. §. 3. in f. ff. de dol. mal. & l. 9. pr. ff. eod. v. supra §. V. inf. & Cellum in c. 99. ff. V. O. ubi ita dicit: *quidquid adstringendæ obligationis est, id, nisi palam verbis exprimitur, omissum intelligendum est, ac fere secundum promissorem interpretamur, quia stipulatori liberum fuit, verba late concipere. Nec rursus promissor ferendus est, si ejus intererit, de certis potius vasis forte, aut hominibus actum.*

## §. XII.